...iae.

Nova, quae inter Caesaream Maiestatem et Papam, prope arcem, cui nomen Belliano, in Italia contigerunt. etc. etc.

1557.

Q
SA
Pa

D

De

Item
ser
b

Noua,

QVAE INTER CAESAREAM MAIESTATEM ET Papam, prope arcem, cui nomen Belliano, in Italia contigerunt.


De noua oppreßione Turcarum, auditu mira.

De expugnatione urbis S. Quintini, qua memorantur personæ in eadem captæ.

Item quomodo prælium prope S. Quintinum inter Regiæ Maiestatis ex Anglia, & Regis Galliæ bellatores factum sit, ipsa die S. Laurentij, cum recensione excellentium personarum, & captorum ducum.

Anno Domini. M. D. LVII.





NARRATIO DE BELLO INTER REGIAM MAIESTAtem ex Anglia, & Gallos, à ſexta die Auguſti, uſq; ad captam urbem S. Quintini.

SEXTA DIE AVguſti huius quinquageſimiſeptimi anni, minoris numeri, uenit Dominus à Dandeloto, Coneſtabuli Galliæ conſanguineus, cum undecim ſignis militum, & quatuor turmis equitum, in animo habens, urbem S. Quintini commeatu, bombardis & reliquo apparatu neceſſario munire, tandemq; obſidione liberare. Id reſciuerunt Anglicani maturè, Gallis igitur iam tendentibus ab oppido Hano ad S. Quintinum, adfuerũt ilicò mille ducenti Germani milites ex regimine Georgij ab Holda: et Anglicanus Capitaneus cum aliquot Hiſpanis, duo-

busq; turmis equitū, qui Gallis prodierunt in conspectum, in eosq; irruerunt, cæciderunt, strauerunt & ceperunt. Ipse quoq; Dominus à Dandeloto captus est, & quicquid Galli in urbem S. Quintini importare sperauerāt, Anglicis & Hispanis obuenit, atq; ita cum gaudio in castra sua redierunt.

Interea temporis cūm urbani Gallorum cladem audissent, secumq; reputarent quòd urbem diu tenere non possent, petierunt à Duce Sabaudię, principe Pedemontano, qui tum (propter Regis Angliæ absentiam, nondum in castris, sed Cameraci agentis) supremus fuit dux belli, ut publica fide principis fieret eis potestas, mulieres, pueros, cæterosq; imbelles senes, ex urbe per castra sine detrimento proficiscendi. quod eis concessum ac permissum est.

Deinde nona die Mensis Augusti, uespertino tempore hora sexta, Conestabulus Galliæ magno cum exercitu

tu, ac præcipuis nobilium & Consiliariorum, uenit ex Gallia, in animo habens urbem S. Quintini uiolenter liberare.

Et Conestabulus cum alijs Gallicis Dominis secum adduxit ferê quatuor millia equitum, & quadraginta signa peditum, ducentos currus cum commeatu, quasdamq; grandes bombardas, cum spe liberandi urbem obsidione.

Verûm ubi Sabaudiæ Dux, Comes Mansfeldius, & Dominus ab Horne, cæteriq; Capitanei & commissarij comperissent Gallos appropinquare, subitô cum magna festinatione admodũ solerter coierunt, assumptis aliquot millibus nigrorum equitum, & aliquot Hispanorum, non sine spe uictoriæ, honoris & laudis obtinendæ, uti & accidit.

Iam igitur per certos indices edocti unde Gallis ducẽdus esset exercitus, transuersim secesserunt, sibiq; cõmodum & opportunum pugnæ lo-

cum obseruarunt, ac postridiè quæ fuit Augusti decima, manè hora septima hostes inuaserunt, exiguoq; tempore quatuor ferè millia equitum deiecerunt, cæciderunt atq; ceperunt. Deinde mox etiam quadraginta signa peditum capti sunt & cæsi, sine magna iactura Anglicanorum & adhærentium. Ac pro certo dicitur, q̃ inter Gallos occubuerint supra quindecim millia, cæteros uerò captos esse.

Quantum autem bombardarum & reliquæ armaturæ (quia Gallus ibi summam potentiam suam habuit) Anglicanis obuenerit, uix est cuiquam enarrabile.

Post prælium in Regis Angliæ castra illata sunt octodecim signa grauis armaturæ, uiginti duo signa leuis armaturæ, & quinquagintaduo signa peditum.

Item statim à pugna Comes Egmũdanus oppidum Hanam cepit, ac septingentos equites Gallos oppressit, cumq;

cŭmque honore & gloria in Anglici Regis castra uenit.

SEQVVNTVR NOMINA Dominorum, qui uel capti sunt, uel interfecti ab utraq; parte ad S. Quintinum proximo die S. Laurentij.

A parte Regis Gallorum.

Conestabulus cum quarto filio suo captus.

Dux à Niuerra.

Dux Longeuallensis.

Ludouicus Gonzaga, Ducis Mantuę frater.

Dominus ab Roche du Maine.

Dominus à Chapelle, Tribunus Conestabuli.

Dux à Montpensier.

Dominus à Roche foucant.

Dominus ab Rockefort.

Dominus à S. Andrea. Magnus Marſchallus Galliæ.
Vicecomes à Touraine.
Comes Rheni, ſeu Ringrafius, cum pleriſque ſuis commiſſarijs.
Dominus ab Rockeſur, Pon.
Dominus ab Angute, occubuit.
Comes ab Villers, occubuit.
Baro Courtonius.
Dominus de La Caille.
Dominus ab Iametz.

CAPTIVI GERMANI

Duces, qui fuerunt partis Gallicæ, non poſſunt omnes, ſed aliqui recenſeri, ut ſequitur.

Lucelburgerus.
Tormenzerus.
Rickerotus.
Ioannes Saliſburgenſis.
Bilſtemius Iunior.
Ioannes à Bhare.

Ludo.

Ludouicus Salisburgensis.
Languueyler.
Simon Francus.
Tartuillus.
Ioannes à Studlardia.
Medlumerus.
Schedlius.
Bilstemius Senior.
Bitzsteinius.
Franciscus Sickingius.
Scheuden Ast.
Gollerus.
Andreas Froschius.

Ex parte Regis Angliæ occubuerunt.

Comes à Spigelberga. Comes Fridericus à Vualdeck. Dominus ab Hauerkurtz, Brerodij frater, multiq; alij, quorum nomina uerè nondum sunt cognita. Eripuerunt etiam nostri Gallis circiter sedecim grandes bombardas, quas illi dereliquerunt in fuga.

Dux Ioannes ab Grobenhagen, & Comes Petrus Ernestus à Mansfelt dia, sunt etiam bombardis icti, ex nostra parte: non tamen letaliter. Forsan & alij plures inferioris conditionis, mihi non adeò noti. Rex noster heri primũm huc aduenit cum haud exiguo numero hominum. Et hoc mane cœpta est ex uallis nostris bombardarum ictibus impeti ciuitas.

Item post memoratã pugnam, Rex Anglicus ex regia clementia singulis debellatis militibus dari curauit dimidium coronatum. Et iurarunt se in sex mensibus Gallo non seruituros esse, Quomodo id seruetur, Deus nouit &c.

Vndecima die mensis Augusti Rex Angliæ in propria persona magno cum apparatu & bombardis, Anglicaq; nobilitate splendidẽ comitatus, in castra uenit.

Decimatertia Augusti grandes bombardæ ad Vrbem uectæ sunt, & ad candem concutiendam apparatæ.

Decimaquarta die cœpta est urbs uiolenter bombardis concuti, & incolis tanta formido iniecta, ut cupiuerint urbem dedere, si modò permitteretur eis, ut tres personæ uelatis uultibus liberè possent emigrare. Hoc eis denegatum est, & ab eo tempore data est opera ut urbs uiolenter expugnaretur.

Regius Conestabulus Galliæ & Comes Rheni ex castris cum ualida & bona custodia educti sunt Antuerpiam usque, & in diuersorio, cui nomen est à russo Leone in Cameraria platea, asseruati, & ipsa S. Bartholomei uigilia, quæ fuit uigesimatertia Augusti, illinc abducti sunt, alter Gādauum Flandriæ, alter uerò Traiectum, in Cæsaris munitam arcem.

Vicesimaseptima Augusti à meridie, circa horā tertiam, urbs S. Quintini ualida pugnaciq; manu, unius horæ spacio capta & expugnata est, omnesq; primùm obuij, exceptis mulieribus & pueris, interfecti sunt ac cæsi,

si, Et Admiralus Galliæ, cum sex Gal lici ordinis, multisq; alijs Dominis ca ptus est. Tantæ autem in urbe capta sunt opes inuentæ, ut uix credibile sit memoratu, Ac regis quidem Gallorũ res ita habent, ut bona spes sit, eum ad pacem petendam esse propẽsum. De. us suam det gratiam.

At enim à fide dignis edoctus sum, expugnationem sic esse factam, Die Lunæ uicesima tertia Augusti, acies instructa fuit quasi urbs inuadenda esset: sed qui in hac acie fuerũt, instru cti erant, ut prociderent in terram, fre ti opportunitate temporis & symbo. li indicati: quod & ita factũ est. Tum uerò acriter bombardarum ictibus urbs quatiebatur, præcipuè uerò ij qui propugnabant mœnia, impetebã tur. Verũm quia ilicò iusta urbis in- uasio non est secuta, continenter ta. men triduo sequenti bombardarum eiaculatio durauit. Tandem uerò ui- cesima septima Augusti, ut suprà me. moratum, iusta inuasio cœpta est, &

Ger.

Germani milites, qui sub Ducibus Lazaro Schwendio, & Georgio ab Holda fuere, primam irruptionem fecerunt, & se in expugnando seueros et audaces præbuerunt. Pars alta transcendēs urbis mœnia mox desilijt, tanta fuit eis Gallicorum coronatorū cupiditas, & si quibusdam malè conuênit. Ex altero latere Hispani & Angli cum Noumrodijs in urbem uenerūt, ea parte qua minimè fuit munita, et egerunt, ut suprà memoraui. Præterea uerò ad Peronam oppidū castra mouerunt, ubi adhuc agunt, cupientes & illud (auxiliante Deo) capere &c.

Noua ex Italia.

Haudquaquam præterea facere possum, quin memorem quod mihi literas complicare & obsignare uolenti rursus aduenerint quædam noua, uidelicet quo pacto quinta die Augusti Mensis Heluetij cum Italicis arcē, cui nomen Belliano, haud procul ab

urbe

urbe Roma sitã, astutè commeatu mu nire uoluerint. Quod simulatq; nobiles de Columna resciuerunt, ut qui prædictam arcem obsidebant, singulari prudẽtia Heluetios Italicosq; circumuenerunt, & ad tria millia Heluetiorum, præter Italicos, cæciderunt, transfixerunt, ceperunt ac dissiparũt. Fama est Heluetios in splendido apparatu stetisse, ac benè fuisse ornatos &c. Fertur etiam quòd Angli & inferiores Germani Gallo in Oceano supra quinquaginta naues eripuerint, &c.

DEVS optimus maximus inclyti Romanorum Regis Ferdinandi Capitaneo Lenckowino in finibus Croatiæ miram & inexpectatam dedit uictoriam, adeò ut cum equitibus ferè quingẽtis ad quatuor millia Turcarũ oppresserit. Dux eorũ qui Zauchus (ut ipsi appellant) fuit, & Goliathicã audaciam ostentare uoluerat, bombardarũ ictibus primùm bis traiectus est,

Quo

Quo uiso alij omnes fugam dederũt, in qua partim interfecti, partim capti sunt, eisq́ tanta formido iniecta fuit, ut etiam à mulieribus occisi, pasimq́ prostrati sint. Scribit autem Capitaneus ipse Lenckowinus, non se illo die, sed dilectum Dominum nostrũ Iesum Christum Imperatorem summumq́ Ducem fuisse. Ei sit etiã laus & gloria per infinita secula. Amen.

Quicquid progressu temporis accidet præterea, faciam te, ut amantissimum dominum meum, cui ad gratificandum semper propensus sum, certiorem.



Lavant [illegible] in D. 1.
V[illegible] [illegible] D. 4 [illegible]
[illegible] appello B post D. 5 [illegible]